Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36570
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

morte periclitantur. Prima necessitate enim homo comedit. quia si non comedit fame
moritur. Secunda necessitate bibit. quia si non bibit siti moritur. Tertia necessitate digerit
quod si non fecerit constipatione moritur. Quarta necessitate corpus somno reficit. quod si neglex-
erit lassitudine deficit. Quinta necessitate vestitur. quod si non fecerit miserum frigore
et ardore punitur. Hinc est totum quod laboramus. Ut nos in his necessitatibus
subveniamus. Primum querite regnum dei et iusticiam eius. et hec omnia adicientur
vobis. Et ne sitis ultra modum anxii de terrenis et de caducis solliciti. quia
hereditabit homo vermes et bestias et serpentes. Rogate autem deum ut ab his ne-
cessitatibus vos eruat. atque illuc vos ubi his non indigeatis transferat. ubi non esuri-
unt nec sitiunt ultra. et ubi anime requiescunt a suis laboribus. et ubi vacant et vident
quoniam ipse est deus in cuius visione reficiuntur angelici cetus. Ut hec petamus ab ipso
docti sumus. Petite inquid et accipietis. ut gaudium vestrum sit plenum. Omne
huius mundi gaudium est fallax et merore plenum. Si enim quis de speciosa
coniuge letatur morte interveniente tristatur. Si de possessione vel pecunia gaudet
aliquo infortunio amissis meret. Illud autem verum et plenum gaudium est omnibus
fidelibus totis votis optandum. ubi in gaudio super omnia bona sua constituuntur et eterne
visionis claritate perpetuo fruuntur. et ubi civium angelorum gloria potiuntur omniumque
sanctorum contubernio sortiuntur. Et hoc gaudium nunquam tollitur ab eis in eternum. Puerpera
mulier cum in partu tristiciam habet. Cum autem puerum peperit. iam pressure minime
meminit. propter gaudium quod homo natus in mundum. Hec mulier est ecclesia. que
nunc in tristicia laborat. ut populum fidelem Christo pariat. Cum autem eum per resurrectionem
eterne vite pepererit. iam pressure huius vite non meminit propter ineffabile gau-
dium. quod tunc in omnibus filiis suis dabitur plenum. quia tunc iusti sicut sol fulgebunt et equa-
les angelis erunt. Primum quo crux ante nos portatur. ita nos exempla cru-
cifixi sequamur. ut triumphum victoriose crucis ad illa gaudia perveni-
re mereamur. Que oculus. In ascensione domini

Elevatus est sol et luna stetit in ordine suo. Christus
sol eternus a quo omnis chori angelorum illustrantur lux vera a qua omnis
anima illuminatur qui dudum hic latuit sub nube carnis circumdatus
caligine nostre fragilitatis. tandem de tenebris inferni emer-
sus hodie gloriosus super astra elevatur ac super omnes dignitates angelorum in
dextera patris dominus maiestatis exaltatur. Luna autem ecclesia ab illo illumi-
nata in ordine suo stetit dum eum in apostolis celos ascendere conspexit. Apostoli namque
ecclesie ordo et iter dum ei ordinem recte vivendi instituerunt et qualiter cursum
post solem iusticie dirigat. eam erudierunt. Quam splendida cornua hec nascens

Si de caris natis iocundatur et morbo affectis vel morte ablatis contristatur.